

I. N. J.
DISSERTATIO PHYSIOLOGICA
De
ORIGINE ANIMÆ
HUMANÆ;

In quâ
Dubium illud discutitur: utrum
rectè dicatur, Animas à Deo imme-
diatè creari:

Quam

*Cum consensu Amplissima Facultatis Philosophicæ,
In Regiâ & illustri, qua Abœa est, Academiâ,*

P R Æ S I D E

VIRO perquam Reverendo atque Praclarissimo,

DN. M. PETRO LAURBECCHIO,
Poësis Professore Ordin.

Publico sistit examini

JOHANNES J. AURICOLA,
Helsingforsîa Nylandus.

In Auditorio Maximo, horis solitis,
ad d. Decemb. Anno 1678.

A B O Æ,

Impressa à PETRO HANSONIO, Acad. Typogr.

*Reverendissimo in Christo Patri
ac Domino,*

DN. ABRAHAMO THAUVONIO;
S. S. Theol. Doct. celeberrimo, inelytæ Diœcesios
Wiburgensis Episcopo Eminentiss. Mœcenati
ac Patrono Magno, devorâ reverentiâ
æternûm colendo.

DN. M. ANDRÆ L. NYCOPENSI;
Ecclesiæ Neoforsensis & Helsingensis Pastori fideliss.
Promotori & Benefactori jure venerando:

DN. M. ANDRÆ IGNATIO, Neoforsensis
Scholæ Rectori solertissimo, ut Præceptoris meo pridem
fidelissimo, ita omni honore & amore prosequendo:

DN. JOSEPHO AURICOLÆ, Sacellano
Civitatis Neoforsensis vigilantissimo; Patri charissimo,
filiali amore & observantiâ perperim honorando.

*Admodum Reverendo, Dnn. Mœcenatibus, Colem-
dissimo Parenti, Patrono & Promotoribus cumprimis
honorandis,*

Dissertatiunculam hanc Physicam, in de-
bitæ gratitudinis ac observantiæ tes-
timonium, humiliter & officiosè
offert.

JOHANNES J. AURICOLA,
A. & Respondens.

P R Æ F A T I O.



Nullâ re magis accenditur atque inflammatur in
 amorem ac venerationem Opificis humanus ani-
 mus, nullâ re propius sibi innotescit; quàm cum
 se intus explomet, mentisq; præstantiam fixius
 contempletur. Hâc enim ratione efficitur, ut
 homo in Deum mentem erigat, atque in ejus
 notitiam perducatur, calcatisq; sordibus ac vitiorum cano, me-
 minisse incipiat, se divinitatis esse consortem. Nec sanè exigui
 momenti res est, aut ositanter, lenisque ac suspensâ, ut ajunt,
 manu, transigenda; quòd homo ab Opifice spiraculum acceperit
 vitæ, atq; ad imaginem Deique similitudinem fit conformatus.
 Cujus muneris dignitatem ac prærogativam nemo in figurâ for-
 mæq; corporis sitam existimet, sed in parte hominis internâ, hoc est,
 in animâ rationali constitutam; que cum sit spiritus æthereus,
 ac substantia incorporea, ex divine mentis archetypo depromta,
 hoc homini præstat, ut Deo sit similis, divinæq; natura particeps.
 Corpus autem quoniam ex concretionem materie, massæque terrestis
 conflavit Opifex, mortale ac caducum pro tempore esse sustinuit;
 Animam verò cum ex se suoque inspiratu nobis indidit, inserens
 omnique corruptele immunem esse voluit, atque expertem. Si-
 quidem cum Dei essentia sit spiritualis ac æterna, atque anima
 illam representet, necesse est perenniter eam subsistere, eandemq;
 cum suâ origine naturam sortiri, h. e. esse immortalem atque
 æternitati destinatam. Et quamquam nonnihil labe facta sit
 anima vi, minusque expressè referat Architecti imaginem: non ta-
 men prorsus extincta est, cum vulnus manu hostili inflitum Ser-
 vatoris Christi munificentiâ sit obductum, ejusque virtute restau-
 rata omnia, que primi hominis vitio collapsa erant ac sadè de-
 formata. Quod si qui hujus divini muneris vires experiri, ejuq;
 excellentiam spectandam sibi exhiberi velit, in se ipse descendat, su-
 amque mentem in consilium adhibeat, ac sedulò extutiat; pro-
 fectò inveniet eximias amplissimasque dotes, atque egregia or-
 namenta, quibus cujusque mens affatim est instructa; Ratio-

nis intelligentiam, judicium delectumque rerum, ingenij agilitatem, memoriam, cum pleraque alia, qua evidentiter evincunt, prestantiorem esse animam, quam ut corporea censeretur, aut corruptioni obnoxia. Hec una est, que corpus vivificat, regit & moderatur, illudque varijs actionibus instruit, multisque munijs exercet. Quo fit, ut ex multiplici effectu diversisque operationibus varias appellationis sortiat. Siquidem, ut Augustinus ait, dum corpus animat, vitæq; imbuat, Anima dicitur: dum vult, Animus: dum scientiâ ornata est, ac judicandi peritiam exercet, Mens: dum recollit ac reminiscitur, Memoria: dum ratiocinatur ac singula discernit, Ratio: dum contemplationi insistit, spiritus: dum sentiendi vim obtinet, sensus. Quæ omnia Anima officia sunt, quibus potentiam suam declarat, suasque actiones exsequitur. Hæc in celsissimâ parte corporis collocata, celoque proximâ, vim suam in reliquas partes efficaciter diffundit. Quemadmodum igitur Anima cetera dignitate & nobilitate, pariterque subtilitate facillè vincit; ita non est naturale aliud, quod plus negotij & laboris doctissimis quibusvis, in ejusdem explicatione occupatis, facefferit. Quæ hæc mirè admiranda Anima Origo? quæ sententiarum de Origine Anima disparitas? in cujus abditam naturam quò quis majorè visu penetrare conatur, eò plus frustratur. Quare, cum tanta sit hujus materie sublimitas, quid de me polliceri possum? fugit namque summos viros, & amplitudine suâ ipsos defatigat. Cogor itaque fateri, me non pro dignitate materie eandem pertractasse, cum non juvenem, sed consummata eruditionis virum requirat. Interim tamen, quatenus ingenij mei vires, quas scio esse exiguas, & temporis ratio permiserant, nonnulla, & ut arbitror, præcipua, quæ sub hujus materie tractationem viderent, ab idoneis quibusque Authoribus collegi. A te interim B. L. summâ animi observantiâ studioque pcto, ut ea, quæ à me festinanti calamo, pro ingenij minervâ, super hæc materiâ breviter tradita sunt, & qui bonique consulere baud ingraverit.

Deus annue caput



Aversarii sententiam de creatione Animarum
 immediatâ descendentes, quærentibus Orthodoxis Theo-
 logis: Utrum creet Deus Animas ab omni peccati labe
 puras, quæ in corpore demum, tanquam minus sincero vase,
 corrumpantur? An verò peccati labe infectæ creentur? Respon-
 dent, duplicem esse sensum illius quæstionis. Prior est, utrum
 Animæ eo instanti, quo creantur, sint puræ, an verò impuræ?
 Posterior est, Utrum Animæ à Deo create accipiant puritatem
 seu justitiam, an verò impuritatem & corruptionem? Si pri-
 ori modo concipiatur Quæstio, Respondent: Animas eo ipso in-
 stanti, quo creantur, esse impuras; simul enim creantur & uniu-
 tur substantialiter cum corporibus contagiosis, è quibus labem
 contrahunt. Si posteriori modo concipiatur Quæstio, Respon-
 dent; Animas nostras à Deo create, neque accipere puritatem,
 seu justitiam & sanctitatem, neque impuritatem & propensio-
 nem ad malum; sed tantùm essentiam spiritualem, & proprietates
 ab essentiâ dimanantes.

S. II. Hanc Sententiam responsionis utriusque damnant &
 rejiciunt Orthodoxi, idque meritò: quia, ut benè monet B. D.
 Meisnerus, de hoc ipso problemate differens Philof. Sobr. part. 1.
 Sect. 3, Cap. 6. quæst. 1. *1. Absurdum est dicere, Animam con-*
tagio corporis vitari, cum corrumpi & infici immortalem spi-
ritum à mortali corpore, contra naturam esse videatur.
2. Quod ex se corpus non habet, eo non potest Animam inficere.
Peccatum, quod Anima proprium, nimirum mentis ignorantia,
contumacia & aversio voluntatis, non inest corpori; Ergo isto
Animam inficere nequit. *3. Hactenus credidimus, corpus propter*
Animam, non contra Animam propter corpus peccato infici. Ani-
ma enim, non corpus, causa est peccati de Luxu; idque, quia igno-
rantia mentis, contumacia & aversio voluntatis à bono, primo
in sunt Anima, dein de corpore. Inverteretur hoc, si Anima à cor-
poris tantùm inficeretur. Hanc enim sequeretur, primò ignoran-
tia, contumacia & aversionis subiectum esse corpus; quæ omnia

funt falſiſſima. 4. Deus injuſtè ageret, qui animam juſtam & nihil tale meritam, in tam impurum carcerem detruderet. Grande enim malum eſt, ſi quis peccato immunis peccato inſciatur. Deus autem abſque culpâ neminem malo afficit. E. auſ Deus injuſtus erit, aut Anima ante inſuſionem peccavit; illud impium, hoc abſurdum. 5. Deus foret cauſa peccati, quia Auctor eſt iſtius conjunctionis, ob quam Anima peccato inſciatur. Cauſa verò cauſe eſt etiam cauſa peccati. Videantur plura apud Authorem dicto loco. Animam quoque humanam in primordio, cum Eſentiâ Spirituali accepſiſſe à Deo puritatem ſeu juſtitiã & Sanctitatem, Sacræ literæ docent; etſi nunc cum propenſione ad malum propagatur.

§. III. Dubium igitur illud; Utrum rectè ſentiant Adverſarij, Animas quotidie à Deo immediatè creati? non immeritò permagni eſſe momenti, & proinde diligenter conſiderandum, judicant omnes, qui ſeſe fidei Orthodoxæ defenſores & Eccleſiarum Academicarumque pios præbent antiſtitutes ac nutricos. Ut autem recto ordine in eo explicando progrediamur; *Primò* proponam & explicabo communem noſtram de Origine Animæ ſententiam; *Secundò* eam rationibus confirmabo, *Sententiam* autem adverſam refellam. *Tertiò* denique Argumenta Adverſariorum diluam.

§. IV. Eſt ſententia omnium Orthodoxorum ſeniorum, cum Philoſophorum tum Theologorum, inprimis Lutheri, de Origine Animæ recepta; Animas à parentibus, mediante benedictione divinâ, in prolem traduci, & unâ cum ſemine propagari, ac proinde ſemen eſſe actu animatum.

§. V. Sententiã hanc Doctiſſimus idemq; laudatus Meiſn. egregiè explicans, ſic ait: *Parens unâ cum ſemine tranſmittit Animã, non quidem ſuam, ſed ſue ſimilem, que Anima poſtmodũ ſemen laborat, corpus efformat, conformat, & ſui quaſi domicilij architec-ta fit, ita quidem, ut poſt abſolutã corporis delineationem, non primũ forma educatur vel inducatur, ſed dumtaxat emergat, & ſua officia per organa exercere incipiat. Anima enim quia non operatur niſi per organa corporis, hinc fit, ut primis diebus videat-*

*per quasi abdita & latens; quod etiam multos decepit, ut dice-
rent, Animam non nisi post diem quadragesimum adesse; cum
samen potius statuendum sit, illam semper actu fuisse in semine;
sed non sensibilibiter operatam esse, quia deserebant Organa. In-
verim non est omnino otiosa, sed occupata sui domicilij elabora-
tione, conformatione & efformatione; eaque duplici, Imper-
fecta & Perfecta. Illa est partium omnium ex solo semine rudis
adumbratio, intra septem à conceptione dies. Hæc est distincta
membrorum, & carnis cum primis, ex affluxu sanguinis ma-
terni, elaboratio & augmentum, in feminis die 40. in ma-
sculis 30 perfecta: hinc ulterior partium elaboratio, in fami-
nis quarto, in masculis tertio mense, unde motus fieri vulgò
traditur.*

§. VI. Modum propagationis & traductionis Animæ ab A-
nimâ, Philosophi Saniores cum lumine, lumen in aliâ materiâ
sine sui divisione de se producente, atque adeo se multiplican-
te, comparare soliti sunt. Sicuti enim lumen sese multiplicat,
hoc est, aliud lumen immediatè producit in materiâ aptâ & æ-
prè dispositâ; ita & Animæ nostræ, per benedictionem Divi-
nam, in semine ad generationem hominis disposito, sese mul-
tiplicant, hoc est, aliam sibi inspecie similem Animam immēdi-
atè, non interveniente instrumento aliquo corporeo, produ-
cunt; quæ immediatâ Animarum productio tradux & propagatio
nominari consuevit.

§ VII. Sententia nostra recepta, sic explicata, haud ægrè
probari & confirmari potest. *Primò* enim, cum imago Dei
fuerit creatæ Animæ humanæ justitia, sanctitas & perfectio;
ideo propagatâ per generationem Dei imagine, ipsam quoque
Animam propagari necesse fuit. Quicquid enim extra Animâ &
sine eâ in corpore humano esse nequit, eo propagato necesse
est ipsam Animam propagari. *Deindè* homini non videtur
denegandum esse, quod brutis convenire omnes concedunt, vide-
licet simile sibi secundum corpus & animam procreare. *Etiã*
quando successit post lapsum in locum imaginis Dei in hominē
peccatum originale, ejus propagatio ostendit, quoque post la-
psum

ipsum illam Animarum propagationem fieri. *Præterea* vis illa
verbi; *Crescite & multiplicamini, Gen. 1. v. 28.* ut in reliquis
Animantibus efficax est, ita quoque circa hominem nec in cas-
sum fuit, nec lapsus hanc divini verbi semel prolati vim evertit;
quæ nempe impleta fuerat benedictio, *Gen. 5. v. 3. Adam genuit fr-*
atrum secundum imaginem & similitudinem suam. Denique Ani-
mam Evæ Deus non creavit, sed ex Adamo in Evam transfudit,
& sic Eva ab Adamo Animam participavit. Cum enim Ani-
ma tota sit in toto corpore, & in quâlibet ejus parte tota, ideo
costa animata fuit, ex quâ Eva est formata, ac proinde non per
inspirationem seu novam creationem, sed per propagationem
ab Adamo Animam accepit. Posteriores Evæ ex animatis parenti-
bus animati generantur, & totius Compositi generatio esse di-
citur à Philologis passim.

§. VIII. Et quidem hæc Argumenta thesin nostram
confirmantia produximus: Nunc alias addemus rationes, qui-
bus errorem evertemus Adversariorum, creationem Animarum
venturam.

Prima ratio est: Quia nullâ ratione inveniri potest, quo-
modo cum Animarum creatione peccatum originis defendatur;
Id quod se expertum esse ingenuè confitetur *August. Epist. 27.*
& 157. Hinc ita D. Meisn. *Quod si hoc unum posset ostendi,*
quomodo peccatum non negetur si Anima creatio affirmetur,
et certe probabilior foret sententia de productione Anima-
rum immediatâ. Quod autem istud impossibile sit, hoc unico
Argumento evincam. Quodcumque peccato Adamo obnox-
ium est velesse debet, id ab Adamo medijs parentibus trahitur;
Originale enim istud malum, non per imitationem, sed per com-
munem generationem & propagationem ad nos derivatur. At-
que Anima non trahitur ab Adamo (juxta hypothesin Adversa-
riorum) & nec peccato Adamo est obnoxia. Hæc ille. Secunda
ratio est: Homo est homo per Animam: hæc quippè est forma,
quæ esse dat homini. Si E. pater non tribuit filio Animam, non
tribuit ei esse hominem, adeoque nec generat hominem. *Tertia ra-*
tio est: Deus 6. diebus totum creationis opus absolvit, septimo
verò

verò die ab opere suo requievit, Gen. 2. v. 3. Exod. 20. v. 11.
Non igitur novæ Animæ nunc creantur. *Quarta ratio est:*
Scriptura notanter dicit: *Septuaginta Animas è femore Jacobi egressu esse*, Gen. 46. v. 26.

§. IX. Quæ cum ita sint, nunc paucissimis Argumenta Adversariorum præcipua oculis subijciemus. Insurgunt namq; dicentes:

1. *Ex nostrâ sententiâ sequi, Animam filij creari ab Animâ patris; Quod enim producit aliquid ex nihilo, illud creat. At Anima patris producit Animam filij ex nihilo, ex nostrâ sententiâ: E. creat, & proinde infinitam habet virtutem. nam producere ex nihilo seu creare, infinitam arguit virtutem.* Propositio Major, ut putant, est perspicua. Minorem sic probant: *Quod ex nullâ materiâ fit, ex nihilo fit; Sola autem corpora ex materiâ fiunt: At forma corpus non est. In materiâ quidem formæ fiunt, generantur & producuntur, sed non ex materiâ; aliâs non principia, sed principiatæ, non formæ, sed composita essent. Efficientem causam & finem formis concedimus, sed materiâ & formam ipsas negamus. Confundenda enim non sunt principia cum principiatâ,*

§. Ad hoc Argumentum Respondemus cum celeberrimo Sperlingio: *Factio compositi seu corporis naturalis ex nihilo, est creatio; non verò productio formæ, aut etiam accidentis.* Addit ex Dannhaverò: *Oritur hoc Argumentum ex non rectè intellectâ naturâ creationis. Non enim sufficiens definitio est, quâ Creatio definitur, Constitutio rei ex nihilo: quod ut probem, formo syllog. omnis constitutio rei ex nihilo, per te est creatio; Assumo, atqui productio specierum intelligibilium est constitutio rei ex nihilo, E. illa constitutio, per te est creatio, & per consequens homo est creator: absolum! Proba Minorem; nam non est ex materiâ, alioquin non essent entia spiritualia, reciperetur intellectio individualiter ac situatiter, scilicet hic ita, ut non alibi, ut loquitur Jandannus l. 3. de An. q. 8. Dices: Ex phantasmatibus produci: concedo, ut ex causâ exemplari, non ut ex causâ materiali: Sicut tò ex accipitur l. 7. Metaph. c. 7. t. 23.*

Sed si instas: *Omnia forma materialis producitur ex nihilo, quia non est ex materia, neq; materia ingreditur essentiã formã: At ex nihilo nihil fit, E. nec anima fit ex nihilo.* Verùm Resp. ad min. Canonem de compositis esse intelligendum: Sed anima non est compositum, verùm pars tantùm compositi: fit igitur ex nihilo.

2. Quod similitudinem à lumine petitam attinet, eam ajunt planè ineptam esse, & nullo modo pro nostrã sententiã facere; nam lumen educitur de potentiã materiæ, ut omnes fatentur. Undè Fonseca, lib. 5. Metaph. cap. 2. quæst. 4. Sect. 1. *Nemo (inquit) dubitat lumen educi de potentiã aëris, & cerẽ cum faci lucenti admoventur fax alia, manifestum est, ex potentiã materiæ istius facis admotã educi flammam & ipsius lucem.* Quare secundum Argumentum contra nos est hoc: *Si Anima filij eo modo producitur ab Animã patris, quo lumen à lumine, Anima patris educit Animam filij ex materia potentiã: At posterius est absurdum, quod & nos fatemur, E. & prius. Probatur autem, lumen educi ex potentiã materiæ; quia ille forma educuntur ex potentiã materiæ, quæ à materiã pendent, quoad esse, & fieri: nam neque possunt fieri sine concursu materiæ, in quã existunt, neque possunt in existendi actu perseverare, materiã sublata. At lumen est tale, quia neq; potest fieri, neque esse, sine concursu passivo materiæ, lumen recipientis.*

3. Ad hoc Argumentum Respondemus, negando consequ. probationemque dicimus parùm convenientem. Formas produci è potentiã materiæ, jam dudum à sanioribus explosum: Cum ipsi educationis Authores, nec quid sit, nec quomodo fiat formarumeductio, queant explicare. Argumentum autem probans educationem: Illæ formæ educuntur, &c. fallit ambiguo vocis pendere. *Dependentia* enim, vel *generalitèr* sumitur pro eo, quod quocunque modo indiget alio ad suum esse, fieri & operari: Quomodo accepta Major nulla est; non enim res una alteri propterea debet suam originem, licet hoc m. ab alterã dependeat. Sic quiescimus & movemur in loco & tempore, licet neutri nostram debemus originem. Vel *specialitèr*, pro dependentiã effectivã, quã effectus dependet à suã efficiente: quomodo acce-

accepta minor creditur falsa; neque enim forma est effectus materię, nec effectus suā causā est nobilior.

3. Si spiritualis substantia Anima, quā spiritualis Generativa est, habeat virtutem procreativam similitum, sequetur facultatem procreatricem non esse propriam facultatem Animę vegetativę; quę est contra omnium Philosophorum doctrinam. Ratio est, quia facultates animę vegetativa non conveniunt Animę rationali, quā talis est, sed quatenus est vegetativa. Sed hæc facultas procreativa similitum Animarum, absque educatione ex potentia materia, competit Animę rationali per se, & non quatenus est vegetativa.

§. Ad hoc Argumentum Respondemus, negando Min. Nemo enim dixerit, spirituales substantiam, quā talem, habere virtutem procreativam similitum: aliās essentia divina & Angelorum, haberet virtutem eandem. Sed spirituales essentię habent istam naturam, ut (si Deo ita visum fuerit) sui sint multiplicativę, ut de Animā hominis loquitur Meis. Ph. Sobr. part. 1. Sect. 3. c. 6. q. 1.

Probationem Consequentię Maj. quod attinet, dicimus vanam esse distinctionem Animę Vegetativę & Rationalis in Animā humanā: siquidem una eademque Anima humana est, & dicitur Vegetativa, & Rationalis. Vegetativa, propter facultates vegetativas; Rationalis, propter facultates Animę rationalis: quia facultates utriusque Animę absolutè consideratę, in Animā humanā non re, sed conceptu & ratione ratiocinatę, differunt. Facultas procreatrix est & manet quidem proprium Animę vegetativę, quatenus ea omnia dicuntur vegetativa, quę tantum habent facultates, altricem, auctricem & procreatricem; sed forma superior præstat etiam omne id, quod solet inferior, ut Spersl. instit. lib. 9. cap. 2. quaest. 1. 4.

4. Vel semen utriusque parentis est animatū, vel alterum, videlicet semen matris; est inanimatū: si utrumque est animatū, vel dicendū erit, filium duas habere Animas rationales, vel particulā Animę a patre, & particulam a matre conferri. Prius absurdum, quia tollit unitatem hominis posterius etiā est absurdum, quia eo posito, concidat Animę indivisibilitas, adeoque immaterialitas. Si se-

men matris sic inanimatum, hoc est, si mater non conferat Animam filio, cum mater non est mater totius filij, sed tantum corporis; item non gignit hominem, sed partem hominis.

S. Respondemus, negando filium duas habere Animas rationales, licet semen utriusque parentis sit Animatum; Anima quippe patris & matris in conceptione non debent considerari divisim, ac veluti seorsum existentes, sed ut unice & sibi invicem quasi adglutinatae in mirabili isto generationis opere. Sicut enim tam arcta ibi est corporum conjunctio, ut mas & femina dicantur una caro: ita nihil absurdi sequitur, etiam si statuamus Animas parentum in isto actu, ex singulari ordinatione divinâ adeo conjungi & quasi coire, ut utraque in istâ carnis copulâ conjunctim unam in semine Animam producat. Sic enim neque pater neque mater totam aut dimidiam, sed utriusque parentis Anima copulata, unam ac indivisibilem Animam propagabit.

Illustrari hæc vicissim possunt similitudine facis ardentis. Si accensæ facies duæ conjungantur & copulentur, tertia fax ab ijs conjunctim ac indivisim accendi potest; ita ut non opus sit quaerere, An totum lumen sit ab hac, & totum etiam ab illâ; atq; sic, num duo sint lumina in face terciâ, vel an particulam luminis hæc, & aliam particulam altera fax communicaverit? Omnia enim hæc quaerita oriuntur ex separatâ facum consideratione. Quod si autem utramque conjunctam cogites, imaginari tibi poteris facilimè, quomodo ab utraq; sine luminis, vel duplicatione, vel divisione, fax tertia fuerit accensa. Pari modo, quamdiu Animas parentum intueris ratione suâ peculiaris existentia, tum quidem percipere non poteris, quâ ratione duæ distinctæ Animæ unam tertiam indivisibilem Animam producant. Ast si tecum repures, consociari eas in generatione & copulari, atque sic ad unitatem quandam in istâ carnis adunitione redigi, facilè intelliges, posse ab ijs ita conjunctim novam velut accendi & propagari Animam. Quo pacto & generatio utriq; parenti commode attribui, & divinâ ordinatio de duobus in carnem unam bene defendi potest.

¶ *Omne rationale est homo: At semen, si actu est Animatum Animā rationali, actu est rationale: E. actu est homo; nam & tu habet formā hominis. Hinc autem varia sequuntur absurda: 1. Patrem in uterum genericis, non tantum semen, sed & hominem transfundere. 2. Hominem & semen hominis specie non differre. 3. Veras esse has propositiones: aliquod semen est homo, & per conversionem, aliquis homo est semen. 4. Generationem hominis fieri sine interitu seminis; forma enim seminis. b. e. Anima manet.*

§. Respondemus, quatuor esse terminos in syllog. *Rationale* enim in Maj. sumitur pro Animæ rationalis, ejusque facultatum omnium, *actu & exercitio*; in Min. pro eo, *quod Animam rationalem in se continet*, tanquam in subiecto. Semen quidem actu est animatum, actu tamen nondum est homo, quia ordo naturæ generantis est ab imperfectis ad perfectiora; quam imperfectionem Anima rationalis, sui domicilij architecta, demum ad perfectum hominem deducit, disponendo semen, ac membra corporis debito modo ex eo fabricando. Sic in semine est & materia & forma futuri canis, neque differt à cane canis semen, nisi sicut potestas ab actu; seminique nihil additur quàm organorum expressio, quæ confusa prius erant, ait Sennertus ex Scaligero.

§. X. Denique producunt Adversarij nonnulla argumenta, pro confirmandā Animarum propagatione, eademque conantur solvere; quibus tamen longè firmiora ad nostræ sententiæ confirmationem produci possunt, ut vidimus suo loco. Audiamus tamen differentem de hisce Adversarium, Robertum Baronium, Philosophiæ Professore in Collegio S. Salvatoris Oxoniensi. *Primum*, inquit, *Obijci solet, ex Gen. 48. Animas de femore Jacob egressas*: Excipit, Synecdochicè id intelligendum esse, de hominibus animatis. Resp. Rectissime; quid autem inde sequetur aliud, quàm totum hominem animatum è femore parentis egredi, h. e. generationem esse totius compositi. Juxta Adversarij autem sententiam, Anima hinc non pro toto homine (quomodo enim illa pars hominis, quæ à parentibus non de-

scendit, usurparetur pro toto homine, quasi homo totum ho-
m nem generaret: *At usque* hæc sunt, ut quæ se invicem everrunt)
sed pro parte hominis alterâ, corpore videlicet, accipienda esset:
cujus Synecdoches exempla nuspiam forè occurrunt.

§. XI. Ergò, quia videt Adversarius, hæc ratione Argumen-
tum nostrum, pro confirmandâ Animarum propagatione, im-
pugnari non posse, addit: *ipsas Animas egressas fuisse è femore
Jacobi, non quòd è femore Jacobi emductæ sunt, quoad earum
ess: simpliciter, sed quòd ex eo descenderint, quoad earum exi-
stentiã in corpore, & unionem cum corpore; Virtus enim seminis
egressi ex femore Jacobi, effecit unionem corporis & Anima.*
Respondemus, distinctionem hanc vanam, probationemque
inconvenientem esse. Non enim virtuti feminis egressi è femore
Jacobi, sed Deo potiùs conjunctio Animæ cum corpore tri-
buenda erit. Nam qui inspirat Animam, is eandem cum cor-
pore conjungit. Sed Deus (ex hypothesi adversarij) creando
inspirat animam, E. inspirando conjungit.

§. XII. Secundum Argumentum: *Si Deus sigillatim creat
Animas omnium, qui quomodocunque generantur, cooperatur
scortatoribus & adulteris: nam fornicarijs & adulterinis con-
ceptibus Animas creat & largitur; quod videtur absurdum.* Ex-
cipit Adversarius; in fornicatione & adulterio duo consideranda
esse, aditionem naturalem generationis humana, & vitium trans-
gredientis legem Dei in illo opere. Deus cooperatur generanti-
ni naturali, que est per se bona, & opus natura; non autem vi-
tio, quo fornicatores & adulteri contra legem Dei generationem
perficiunt. Quâ responsione, Adversarius utique animas à pa-
rentibus propagari fatetur.

Tertium Argumentum est: *Deus sex diebus totum creationis
opus absolvit, postea verò requievit ab opere suo, Gen. 2. Exod. 20.*
Non igitur novæ Anima nunc creantur. Excipit, Deum post
sextum Diem cessasse à creatione novarum specierum, non verò
novorum individuorum: Anima autem, quas jam creat, non
specie, sed numero differunt ab Animâ Adami, quam primò creavit.
Recip. Si vel maxime dicatur Deus requisivisse à condendis novis

tantum speciebus, non autem individuis: tamen non videtur
eventi hoc Argumentum, cum partes essentiales (qualis quoque
Anima est) non tam ex ratione individui, quam speciei, rebus
convenient, adeoque ad specificam rationis integritatem spectent.

Hæc sunt L. B. quæ in hanc dissertationem in præsentia
congerere licuit.

Ad supplendam pagellam, sese coronidis loco
obtulit Problema, de corruptione Animæ Bru-
torum post separationem à corpore.

Verus hujus Controversiæ status est; *utrum anima brutorum,
post separationem à corpore, pereant & corrumpantur? An
verò maneat superstites?* Prior sententia huc usque omnibus
fuit recepta: in contrarium tamen quis argumentari potest,
hunc in modum: Formæ brutorum non habent corruptens,
nec intra se; quia non constant ex quatuor elementis, sicut nec ex
principijs chymicis: nec extra se; Substantiæ enim nihil con-
trarium, tantum abest, ut formæ animantium brutorum natu-
raliter pereant, corrumpantur & annihilentur. Unde essentiam
Animæ brutorum post separationem à corpore, in mundo ad
ejus consummationem usque, superstitem & salvam manere,
postquam in unâ acquiescere atomo, persuasum multi habent.
Huc facit etiam communis illa Philosophorum assertio: Sicut
ex nihilo nihil fit, ita in nihilum nihil abit, scilicet naturaliter.
Nec remoram huic Assertioni inijcit exceptio Sperlingij:
*Si nihil possit abire in nihilum, radij solares, lumen candele
extinctæ, species intelligibiles, actiones mentis, pluraque alia,
in quid, quæso, abeunt?* Respondemus enim, hæc omnia esse Ac-
cidentia & qualitates intentionales, quæ quidem magnam par-
tem in nihilum abeunt. At restringimus nos regulam, non tam
ad Accidentia, quam ad Substantias, ipsaque composita, ut
regulæ sensus sit: Nulla substantia, nullum corpus,
nullum compositum, naturâ in nihi-
lum abit.

INventio Poëtarum Apologica, Æsopi ingenio celebra-
 ta; quâ *Rebus ratione carentibus, Animatis Inanimatis ve,*
actio Persona aliqua affingitur, notabilem eventum inferens,
ad ipsas res effictas, aut diversum aliud significandum; ut an-
 tiquissima, pariter haud modicæ virtutis est, ad animos
 cum delectatione docendum, modò aptâ similitudi-
 ne incedat, nec ineptijs in aniles nugas degeneret.
 Pueris certè ad literas ducendis ejus fictionis delecta-
 tionem destinavit Fabius Quintilianus; verùm repræ-
 sentandis aliquando negotijs gravissimis adhibitam, li-
 teris cum sacris, tum profanis proditum est.

Ad Adolescentem.

Literarum Morumque cultu pereximium,

DN. JOHANNEM AURICOLAM H-Forfium,

Originem veram ANIMÆ HUMANÆ Dissertatione eruditâ asserentem,

Τετράστιχον.

SÆpius AURICOLAS peritura portio gleba
 Fulgida privavit cognitione sui.

Na! Tu, Nostra Animæ qua sit, dum quarò, origo,
 Verius AURICOLÆ nomen & omen habes.

Deproperavit

P R Æ S E S.

Περὶ τῆς ἀρχῆς τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς διεσώσας εὐερισμοῦ τὰς
 τῶν παιδευτῶν γνώμας : οἱ μὲν γὰρ ἰορίζεσθαι τὸν θεόν ἐπὶ καθ' ἡμέραν
 κλίνειν καὶ εἰς τὰ σώματα ἐγχεῖν τὴν τῶν ἀνθρώπων ψυχὴν ; οἱ δὲ λέ-
 γουσι αὐτὴν ἅμα τῷ σπέρματι ὑπὸ τῶν γονέων γενεᾶσθαι. Τί δὲ ἐν
 ταύτη τῶν δογμάτων Διαφορὰ δεῖ ἡγεῖσθαι, πεπαιδευμένη σὲ Δι-
 λέξει σαφῶς Ἰππιδάκτου Κύριε Δουρίκοι τῆς δῆπε, ἀπὸ τῶν γονέων
 λαμβάνει ἡμᾶς ὡσπερ τὸ σῶμα ἔται καὶ τὰς ψυχὰς ; Ἐτέρα γὰρ Διόνοια
 τὸν θεὸν ποιῆ τῆς ἀμαρτίας αἰτιον, ὅπερ βδὶ βλάσφημον. Συγχαίρω
 σοὶ ἐν τῆς ἐν ταῖς σπεδαῖς πεσοπῆς, καὶ τῆτω σὲ πῶνα εὐπραξίαν
 προσεύχομαι. Ἐρῶσιν.

Πεπαιδευμένῳ καὶ τὰ τῶν τρόπων ἤδη σπεδαῖω τῷ τῆς
 Συζητήσεως τύλης συγγραφαῖ ἀχρηδίασι προσέθηκε

ERICUS FALANDER.

h. a. Fac. Phil. Decanus.

*Egregia indolis est in Virtutis, bonarumque Artium cultura
 occupatissimo Adolescentulo,*

DN. JOHANNI AURICOLÆ, Disputationem de
 ardua Materiâ, vidz. *Anima humana origine*, proprio Marte
 elaboratam, publicè defendenti, Amico meo peramando:

Incrementa capit corpus, succescit; & auget.

Id nutrimentum per singula membra refusum.

Deficit exsuccum tandem, inclinata senectus

Advenit postquam, canis rugosa capillis.

Sic solet humanum corpus faciem variare.

Ast animæ vires, constantes atque perennes

Eduant; nescit vis his inimica nocere.

Ad veniunt annos quanto, tanto magis ipsæ

Doctrinâ lucent, crescunt, virtute coruscant.

Non fucanda venit facies; sed moribus æquis

Est animus noster, *Thales* dixit, decorandus.

Talis forma probos citò conciliabit amicos.

Qualis origo animæ sit non operæ est mediocritis,

Unius ac horæ disquirere; verum opus artis.

Hæc agitata diu fuit inter quæstio doctos:

Utrum animæ nostræ primordia semine ab ipso

Cor-

Corporis exirent? astris an debeat ortum :
 An Rex Astripotens animas velit immediatè
 Indere corporibus? vetus hæc sub iudice lis est.
 Forma sibi formam similem producere novit,
 Asserit id nostrum doctorum turba virorum.
 Hæc de materiâ cedro, committere chartæ
 Dignâ, noster amor, pietatis & Artis alumnus
Jannes Auricola exorsus, quod in ardua tendit
 Colloquium, cui vix est par æquæva juvenus.
 Hoc majora idèò laudum argumenta suarum
 Demonstrat, quoniam, cum primi temporis ætas
 Idtulit, Aonij fontis libaverat undam.
 Qui plures numerant annos, hos ordine longo
 Post se linquere jure potest; qui pocula pleno
 Evacuare mero gaudent; quæis pectora torpor
 Obliquat; molles qui sunt vacuique laborum.
 Iccircò, meritò felices atque beati
 Cum genitrice, pater, senij quæis dulce levamen
 Obtigit ex nato, qui prima parentis imago est.
 Gratulor *Auricolæ* ingenij lucem genuinam;
 Hocce meum ingeminas calido de pectore votum :
 Fata benigna juvent prono conamine cœptum!
 Sit fortunatus; sit felix auspice Musa!
 Præbeat omnipotens placidas his vocibus aures!

L. M^h, accinebat SIMON Ἐπίσκοπος Ab. Fac. Pb. Adj.

2/
Αρκων τῶν ζῶων ὁ ἀνθρώπος τῆ κοσμοσφαιρῆς ὁρθῶς ἀκέραι, τῆ σώ-
 ματος γὰρ αὐτῆς παλάμη ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν θηυμασιεῖς ἔδει, τὰ μέλη
 συνέχειαι συνδέσμοις ἀδελφαῖς ἐν συμμετρίᾳ εὐπρεπεστάτη. ἀρμός
 τῆ σώματος ἡμῶν ἐξ ὀστέων, κόνδρων, τενόντων, νεύρων, σαρκῆς, μυῶν,
 κρωτῆος τριπλῆς, καὶ ὑμένων ἦτοι ποικίλων τῶν ἐλίκων συνηρμοσμένος ἐστὶ.
 πάντων τέτων ὡς ὁ ἥλιος καὶ βασιλισσα ἡ ψυχὴ ἄρχει: αὐτῆς δὲ τὸ αἶμα
 καὶ ἀρχὴν Κύριε ΙΩΑΝΝΗ, πατριῶτα τιμιθεωρήσει καὶ σκοπεῖν σὺν τόκῳ
 Δία τινεῖς; εὐγε Φιλοπονίας Γούτης, τῆς ἐνδομύχης ἀνθρώπου ἕως Δία-
 περγον. καλοῖνερον ἐπιχείρεις αὐτῆς ψυχῆς πειθεύχομαι. χαίρει καὶ ἔρρωσθαι.
 Ἰωὴλ Πετρεῖος τροφίμος βασιλικός.